



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 6. Quid in Ecclesia hactenùs constitutum fuerit circa immaculatam B.
Virginis Conceptionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

hic filius Adæ: at corrumpitur pro illo posteriori rationis, pro quo infunditur corpori, eique coniungitur: quia pro illo posteriori jam est hic homo, hic filius Adæ, ad quem peccatum Adæ pertinet, & quem peccatum Adæ inficit & maculat, donec ei per baptismum aut alia via condonetur.

ARTICULUS VI.

Quid in Ecclesia hætenus constitutum fuerit circa immaculatam B. Virginis Conceptionem.

Resp. Sixtus IV. an. 1476. Constitutionem edidit, quæ incipit, *Cum præexcelsa*, ubi immaculatam B. Virginis Conceptionem devotè celebrantibus concedit eandem indulgentias, quas Urbanus IV. concesserat devotè celebrantibus festum Corporis Christi. Dignum, inquit, quin potius debitum reputamus universos Christi fideles, ut omnipotenti Deo... de ipsius immaculate Virginis mira conceptione gratias & laudes referant, & instituta propterea in Dei Ecclesia Missas & alia divina officia dicant, & illis intersint, indulgentiis & peccatorum remissionibus invitare, ut exinde fiant Virginis meritis & intercessione, divine gratia aptiores. Hac igitur consideratione ducti, ejusdem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, auctoritate apostolica, hac in perpetuum valitura Constitutione statuimus & ordinamus, quod omnes & singuli Christi fideles utriusque sexus, qui Missam & officium Conceptionis ejusdem Virginis gloriose, juxta piam, devotam & laudabilem ordinationem dilecti filii magistri Leonardi de Nogarolis Clerici Veronenfis Notarii nostri, & quæ desuper a nobis emanavit, Missa & officii hujusmodi institutionem in die festivitatis Conceptionis ejusdem Virginis Mariæ, & per octavas ejus devotè celebraverint & dixerint, aut illis horis canonicis interfuerint; quoties id fecerint, eandem prorsus indulgentiam & peccatorum remissionem consequantur, quam juxta felicitis recordationis Urbani IV. in Concilio Viennensi approbata, ac Martini V. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, consequuntur illi, qui Missam & horas Canonicas in festo corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi a primis Vesperis & per illius octavas juxta Romanam Ecclesiam constitutionem celebrant, dicunt, aut Missa officio, & horis hujusmodi intersunt.

Idem Sixtus IV. an. 1483. alteram edidit Constitutionem, quæ incipit, *Grave nimis*; ubi sic loquitur: Sane cum sancta Romana Ecclesia de intemerata semperque Virginis Mariæ Conceptione publicè festum solemniter celebret, & speciale ac proprium super eo officium ordina-verit; nonnulli, ut accepimus, diversorum Ordinum Predicatores in suis sermonibus ad populum publicè per diversas civitates & terras affirmare hætenus non erubuerunt, & quotidie predicare non cessant, omnes illos, qui tenent aut asserunt eandem gloriosam & immaculatam Dei Genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hereticos: ejusdem immaculate Conceptionis officium celebrantes, audientesque sermones illorum, qui eam sine hujusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare graviter... Nos igitur hujusmodi temerariis ausibus, ac perversis assertionibus ac scandalosis, quæ exinde in Dei Ecclesia exoriri possunt, quantum nobis ex alto conceditur, obviare volentes... hujusmodi assertiones Predicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eos qui crederent aut tenerent eandem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in sua conceptione præservatam fuisse, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut hujusmodi officium Conceptionis celebrantes, seu hujusmodi sermones audientes, alicujus peccati reatum incurrere, utpotè falsas & erroneas, & à veritate penitus alienas, editosque desuper libros predictos id continentes, quoad hoc auctoritate apostolica tenore præsentium reprobamus & damnamus. Ac motu, scientia & auctoritate predictis statu-

mus & ordinamus, quod Predicatores verbi Dei & quicumque alii cujuscunque status, gradus, aut ordinis ac conditionis fuerint, de cetero ausu temerario præsumpserint in eorum sermonibus ad populum, seu alias quomodolibet affirmare hujusmodi sic per nos improbatas & damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere vel habere, postquam de præsentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, à qua ab alio, quam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequeant absolutionis beneficium obtinere. Item motu, scientia & auctoritate similibus, simili poenæ ac censura subjicientes eos, qui ausi fuerint asserere contrariam opinionem tenentes videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cum nondum sit à Romana Ecclesia & apostolica Sede decisum.

In hac Constitutione, quam Sixtus manifestè edidit in favorem sententiæ defendentis immunem ab omni labe peccati Conceptionem, i. hanc sententiam commendat ex praxi Ecclesiæ Romanæ, in qua de immaculata Virginis Conceptione festum publicè & solemniter celebratur, & speciale ac proprium de eadem Conceptione officium recitatur.

2. Assertiones illas, nempe quòd hæreseos labe polluantur, vel peccent mortaliter, qui credunt, aut tenent B. Virginem ab originalis peccati macula in sua conceptione præservatam fuisse; item quòd alicujus peccati reatum incurrant, qui celebrant officium Conceptionis, vel defendentium immaculatam B. Virginis Conceptionem sermones audiunt, ut falsas & erroneas & à veritate penitus alienas, unà cum libris in quibus continentur, damnat & reprobat.

3. Sub poenâ excommunicationis ipso facto incurrendæ, & summo Pontifici reservatæ, prohibet omnibus, cujuscunque status, gradus aut ordinis ac conditionis fuerint, ne in posterum in publicis ad populum concionibus, aut aliis quomodolibet affirmet veras esse predictas assertiones, & libros illas continentes, ut veros legant, teneant vel habeant.

4. Sub eadem poenâ & censura prohibet iis, qui immaculatam B. Virginis Conceptionem defendunt, ne asserant contrariam opinionem tenentes, hæreticos esse, vel peccare mortaliter. Hujus autem secundæ prohibitionis, quod observandum est, motivum est, quòd nondum ab Ecclesia Romana & Sede Apostolica decisum sit B. Virginem sine peccati originalis labe conceptam fuisse, quod sanè nihil addit probabilitatis sententiæ neganti immaculatam B. Virginis Conceptionem, sed solum eam suæ probabilitati relinquit: motivum verò prioris prohibitionis est, quòd festum de immaculata B. Virginis Conceptione publicè & solemniter celebretur, & officium de eadem Conceptione speciale & proprium ordinatum sit ac recitetur in sancta Romana Ecclesia, quod sanè magnum momentum est pro sententiâ immaculatam B. Virginis Conceptionem defendente.

5. Denique, cum Sixtus hac sua Constitutione solum prohiberet, ne una pars alteram hæreseos vel peccati mortalis accusaret, poterat adhuc, ommissis ejusmodi censuris, utraque sententia non tantum privatum, sed etiam publicè defendi, sive in concionibus ad populum, sive in scholis.

Concilium Tridentinum sess. 5. in fine decreti de peccato originali, editas à Sixto IV. in favorem sententiæ immaculatam Virginis Conceptionem defendentis, Constitutiones innovavit, & observari jussit his verbis: *Declarat hac ipsa sancta Synodus non esse sue intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem; sed observandas esse Constitutiones felicitis recordationis Sixti Pape IV. sub poenis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat.* Porro hæc additio Concilii, quæ non legitur in multis editionibus factis ante annum 1564. quo finis Concilio feliciter imposuitur est, legitur in editione hoc anno facta, & in aliis omnibus, quæ postmodum factæ sunt ubique terrarum, nullis reclamantibus

Epil-

Episcopis, quorum tamen multi Concilio interfuerant, & tacentibus Dominicanis, qui proculdubio huic additioni, si non fuisset ab ipso Concilio appositae, contradixissent.

Hic silentio non praevertam quod legitur in actis originalibus Concilii, quae afferantur in Castro S. Angeli, in quadam Synodi sessione à Patribus conclusum esse, ut ederetur decretum de immaculata B. Virginis Conceptione, quod tamen non fuit vulgatum propter instantissimas preces paucorum Episcoporum & Doctorum Dominicanorum, qui Patres Concilii rogarunt, ne hac vice decretum illud vulgaretur. Itaque Synodus à definitione abstinuit, & additione hic relata, ne suo de peccato originali decreto, immaculatæ Conceptioni B. Virginis præjudicasse videretur, usa est, & pro hac vice contenta fuit.

Pius V. anno 1570. edidit Constitutionem, quae incipit, *Super speculam*; in qua §. 1. liberam cuique facultatem relinquit opinandi huius controversiae (de Conceptione scilicet B. Virginis) quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabile esse iudicaverit; & secundum Sixti IV. statutum, à Tridentina Synodo innovatum, confirmat & approbat, habens illud pro plenè & sufficienter expresso, & inserto præsentis suae Constitutioni. Quo modo loquendi propensionem suam in sententiam defendentem B. Virginis Conceptionem immaculatam, clarè significat.

§. 2. Sub multis & gravibus poenis mandat, quatenus nemo ejusque ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis existat, in popularibus concionibus, vel ubicumque promiscua virorum & mulierum multitudo convenire solet, de huius controversiae alterutra parte disputare, rationibus, vel Doctorum autoritate asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando, vel de hac ipsa questione, cujusvis pietatis, aut necessitatis prae-textu, vulgari sermone scribere, vel dicere praesumant. Quibus verbis facultatem, quam Sixti Constitutio relinquebat utrique parti, sententiam suam ubique proponendi & propugnandi etiam vulgari sermone, tam scripto quam viva voce, abstinendo tamen ab oppositæ sententiae censura gravi, restringit, non tamen tollit omnino. Nam §. 3. vult licitum esse, quandiu per Apostolicam Sedem altera pars definita non fuerit, oppositæque sententia condemnata, viris doctis, in publicis academiæ disputationibus, seu generalium, aut provincialium Capitulorum, vel ubi alias intersunt, qui rem capere possunt, nec scandali ulla subest occasio, de illa questione disserere, & argumentis utramlibet partem vel asserere, vel impugnare, dum tamen neutra veluti erronea predicetur, serventurque illa omnia, quae à dicto Sixto statuta sunt, &c. Post hanc igitur Pii V. Constitutionem licuit adhuc immaculatam B. Virginis Conceptionem impugnare, vel defendere pro arbitrio in publicis scholarum disputationibus, aliisque publicis collationibus coram idoneis auditoribus, modò abesse omne periculum scandali, & alia sententia non notaretur tanquam erronea, servarenturque omnia, quae à Sixto IV. fuerant praescripta in favorem alterius sententiae.

Paulus V. an. 1616. Constitutionem edidit, quae incipit, *Regis pacifici*, & in qua §. 6. supradictas Sixti IV. & Pii V. Constitutiones innovat, & inviolabiliter observari precipit sub illis poenis, aliis etiam de novo §. 7. adjectis. Anno verò sequenti novum edidit decretum, quod incipit, *Sanctissimus*, & in quo, quia ex occasione assertionis affirmativae in publicis concionibus, lectionibus & actibus publicis, quod eadem beatissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo christiano, cum magna Dei offensae, scandala, jurgia & dissensiones, decernit & precipit §. 2. omnibus & singulis cujusvis ordinis & instituti regularibus, & aliis quibuscumque, tam ecclesiasticis & secularibus personis, cujusvis conditionis, status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam ecclesiastica quam secularis, etiam si specialis, specifica & individua earum esset necessario mentio faciendae, aut in posterum, donec articulus huiusmodi à sancta Sede Apostolica fuerit definitus, vel per Sanctitatem Simonnet Theol. Tom. I.

tem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quod eadem beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali.

§. 3. Contrafacientes eadem Sanctitas sua voluit & declaravit subjacere debere, & subiectis censuris & poenis contentis in supradictis Constitutionibus suorum Praedecessorum, & sua, ipso facto incurrendis. §. 4. Per huiusmodi tamen provisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsus præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu & terminis, in quibus de presenti reperitur, propter quam quoad supra disposita. §. 5. Ulterius sub eisdem censuris & poenis mandans, quod negativam opinionem, videlicet, quod non fuerit concepta cum peccato originali, in praedictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent.

Itaque hoc Pauli V. decreto omnibus omnino fidelibus sublata est facultas immaculatam B. Virginis Conceptionem impugnandi publicè; poterat tamen adhuc impugnari in privatis colloquiis, servatis servandis, & per summorum Pontificum Constitutiones in favorem sententiae propugnantis illam praescriptis. Sententia verò immaculatam B. Virginis Conceptionem asserens, potuit nihilominus non solum privatim, sed etiam publicè proponi & defendi, modò oppositæ nulla fieret mentio, quæ cautio prudenter à Pontifice adhibita est, ne scilicet nimium exasperarentur Dominicanorum animi.

Gregorius XV. anno 1622. die 24. Maji, decretum edidit, quod incipit, *Sanctissimus*; in quo §. 2. ad evitanda scandala, dissensiones atque discordias in populo christiano, quae oriri possunt, & ut accepit, in aliquibus Religionibus jam oria sunt ex sermonibus privatis occasione assertionis affirmativae (hoc est, sententiae affirmantis B. Virginem conceptam fuisse in peccato originali) extendit, & ampliavit (decreto Pauli V.) etiam ad privata colloquia & scripta, mandans & precipiens omnibus & singulis (in decreto Pauli V. enunciatis) ne de cetero, donec articulus huiusmodi à Sede Apostolica definitus, vel per Sanctitatem suam & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in sermonibus & scriptis privatis audeant asserere, quod eadem beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere, seu tractare, exceptis tamen quibus à sancta Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum. Per hoc tamen Sanctitas sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei nullum prorsus præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu & terminis, in quibus reperitur, praeter quam quoad in supradicto fel. record. Pauli V. & hoc suo decreto disposita.

§. 3. Insuper eadem Sanctitas sua, cum sancta Romana Ecclesia de beatissima Virginis Conceptione festum solemniter & officium celebret, omnibus & singulis personis, tam secularibus quam cujusvis ordinis & instituti regularibus, mandat ac precipit, ut in sacrosancto Missae sacrificio, ac divino officio celebrandis, tam publicè quam privatim, non alio quam Conceptionis nomine uti debeant. Contravenientes autem Sanctitas sua voluit & declaravit subjacere debere, & subiectis censuris & poenis contentis in supradictis Constitutionibus (Sixti IV. Alexandri VI. Pii V. ac Pauli V.) ac praefato decreto (Pauli V.) ipso facto incurrendis; & ita decrevit & mandavit ubique inviolabiliter observari.

Ex his autem habemus, i. iis, qui B. Virginis Conceptionis immaculatæ adversantur, altum tandem silentium impositum fuisse, illisque sub gravissimis poenis interdictum esse, ne in posterum eam impugnent etiam in privatis colloquiis & scriptis, & de sua sententia, eam scilicet defendendo, aliquo modo agant seu tractent etiam privatim, exceptis tamen PP. Dominicanis; nam idem Pontifex, decreto, quod incipit, *Eximii*, edito eodem an. 1622. die 28. Julii, omnibus, & singulis Ordinis Praedicatorum

Fi

Fra-

Fratribus, ut de cetero in quibuscumque privatis eorum colloquiis, seu conferentiis, inter se duntaxat, & non inter alios, aut cum aliis, de materia ejusdem Conceptionis B. Mariae Virginis differere & tractare, absque ullo poenarum in dictis decretis contentarum incurfu, libere & licite possint & valeant, apostolica auctoritate, tenore praesentium, licentiam concedit & impartitur.

Habemus 2. sub iisdem poenis omnibus omnino personis Ecclesiasticis, tam saecularibus quam regularibus, cujuscumque ordinis & instituti, ac proinde & ipsis Ordinis Praedicatorum Fratribus, preceptum esse, ut in sacrificio Missae ac divino officio, sive publice, sive etiam privatim celebrandis in die festo Conceptionis B. Virginis, nomine Conceptionis, & non alio, nempe Sanctificationis, utantur; quia scilicet Summus Pontifex vult ut omnes se conforment intentioni sanctae Romanae Ecclesiae, quae festum & officium de Conceptione B. Virginis solemniter celebrat, & celebranda intendit colere B. Virginis sanctificationem in utero materno, non pro aliquo instanti indeterminatè, sed pro instanti conceptionis perfectae, seu animationis, hoc est, infusionis animae in corpus organizatum, quo instanti coepit esse ipsa B. Virgo.

Nota pro sequenti articulo. Alexander VII. anno 1662. decretum edidit, cujus hic titulus est: S. D. N. Alexandri VII. Innovatio Constitutionum & decretorum in favorem sententiae asserentis animam B. Mariae Virginis in sui creatione, & in corpus infusione a peccato originali preservatam fuisse editorum. In hoc autem decreto sic loquitur: Sane vetus fidelium erga B. V. Mariam pietas, sententiam ejus animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia, intuitu meritorum Christi a macula peccati originalis preservatam, atque in hoc sensu ejus Conceptionis festivitatem solemniter ritu colentium & celebrantium, crevitque horum numerus, atque hujusmodi cultus post editas à Sixto IV. in ejus commendationem apostolicas Constitutiones, quas sacrum Concilium Trid. innovavit, atque observari mandavit. Aucta rursus & propagata fuit pietas hac & cultus erga Deiparam, post erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, religiosum ordinem & Confraternitates, ac concessas ab iisdem indulgentias, ita ut accedentibus quoque acadevniis ad hanc sententiam, jam ferè omnes Catholici eam amplectantur. Quia ex occasione contrariae assertionis oriebantur scandala, Paulus V. vetuit opinionem praefatae sententiae contrariam publicè doceri aut publicari. Quam prohibitionem Gregorius XV. ad privata etiam colloquia extendit, mandans insuper in favorem ejusdem sententiae, ut in Missa sacrificio, ac divino officio, non alio quam conceptionis nomine uti quicumque debeant.

Nihilominus prout F. Episcopi ferè omnes Hispaniarum ad nos litteris exposuerunt, pergunt aliqui contraria illius opinionis assertores contra praefatas prohibitiones, tum privatim, tum publicè praefatam sententiam aut impugnare, aut vellicare, & favorem à Romanis Pontificibus cultui & festo secundum illam praestitum, ita interpretari, ut frustrentur; imò Ecclesiam Romanam huic sententiae, & cultui juxta illam B. Virginis exhibitio, favere negant, pios Christi fideles è sua pacifica quasi possessione deturbare conando; unde offensiones & scandala, quibus obviare voluerunt Paulus V. & Gregorius XV. perdurant adhuc, & ex occasione eorundem adversantium majora bis incommoda in posterum prouident & merito timeantur.

Quapropter super his tam praefati Episcopi, quam Philippus Rex Catholicus nobis pro remedio supplicari fecerunt. Nos considerantes quod sancta Romana Ecclesia de Mariae Virginis conceptione festum celebrat, & speciale super hoc officium olim ordinavit, juxta piam, devotam & laudabilem institutionem, quae à Sixto IV. emanavit; volentesque laudabili huic pietati, & festo ac cultui secundum illam exhibitio in Ecclesia Romana post ipsius cultus institutionem nunquam immutato, Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum exempla facere, nec non tueri devotionem hanc colendi B. Virgi-

nem, preveniente scilicet Spiritus sancti gratia, à peccato originali preservatam; decreta à Sixto IV. & Gregorio XV. edita in favorem sententiae asserentis animam B. V. Mariae in sui creatione & in corpus infusione Spiritus sancti gratia donatam, & peccato originali preservatam fuisse, nec non in favorem festi & cultus Conceptionis ejusdem Virginis secundum piam sententiam exhibiti, innovamus, & sub censuris & poenis in iisdem Constitutionibus contentis observari mandamus.

Insuper omnes & singulos, qui praefatas Constitutiones ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictae sententiae, & festo seu cultui secundum illam exhibitio frustrentur, vel qui hanc sententiam, festum seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo, directè vel indirectè, aut sub quovis praetextu ejus definitivitate examinare, sive sacram Scripturam, aut SS. PP. sive D. glossandi vel interpretandi, scripto seu voce, loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quidquam determinando aut asserendo, vel argumenta contra ea asserendo, & insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo differendo ausi fuerint; praeter poenas & censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subiacere volumus, & per praesentes subijcimus, etiam concionandi, publicè docendi & interpretandi facultate, ac voce activa & passiva in quibuscumque electionibus eo ipso absque alia declaratione privatos esse volumus, nec non ad concionandum, publicè docendum & interpretandum perpetue inhabilitatis poenas ipsis facto incurere, à quibus poenis non nisi à nobis ipsis, vel à successoribus nostris Romanis Pontificibus absolvi, aut super iis dispensari possint; nec non eosdem aliis poenis nostro & Pontificum successorum nostrorum arbitrio insignendis pariter subiacere volumus, prout subiungimus per praesentes.

Innovantes Pauli V. & Gregorii XV. Constitutiones, ac libros, in quibus praefata sententia, festum seu cultus secundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocumque aliquid scribitur aut legitur, seu locutiones, conciones, tractatus & disputationes contra eadem continentur, post Pauli V. supra laudatum decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda prohibemus sub poenis & censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipso facto absque alia declaratione pro expressè prohibitis haberi volumus & mandamus. Vetus autem, Sixti IV. Constitutionibus inhaerentes, quempiam asserere, quod praeter hoc contrariam opinionem tenentes, haeresis crimen, aut mortale peccatum incurrant, cum ab Ecclesia & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum, prout nos nunc minime decidere volumus: quin potius contrariam illam opinionem haeresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes praeter poenas, quibus eos subiecit Sixtus IV. graviorebus aliis poenis subijcimus, quas in contra facientes huic nostrae conclusioni superius infliximus.

Ex hoc Alexandri VII. decreto, habemus, 1. Constitutiones à Sixto IV. Paulo V. Gregorio XV. sicut & hoc Alexandri VII. decretum, editas esse in favorem sententiae asserentis B. Virginem, preveniente Spiritus sancti gratia, propter merita Christi praeservatam fuisse à macula peccati originalis.

2. Pium, laudabile & devotum esse, B. Virginem colere juxta hanc sententiam.

3. In sancta Romana Ecclesia olim solemniter celebratum fuisse, & etiamnum celebrari festum immaculate Conceptionis, per immaculatam Conceptionem intelligendo sanctificationem animae B. Virginis pro primo instanti creationis & infusionis suae in corpus, non verò, ut cavillabantur pia sententiae adversarii, pro secundo instanti, aut pro aliquo instanti indeterminatè, praescindendo à primo, secundo, tertio, &c.

4. Et ita objectum cultus, ad quem Ecclesia fideles omnes non solum hortatur, & indulgentiis liberaliter concessis invitat, verum etiam praecipio celebrandi festum Conceptionis immaculate sub mortali obligat, esse sanctificationem B. Virginis pro primo illo instanti, quo anima in corpus infusa est, & quo proinde ipsa B. Virgo coepit existere.

5. Piam

5. Piam hanc sententiam (quæ tenet B. Virginem in primo instanti suæ existentie sanctificatam fuisse propter Christi merita, & in nullo prorsus suæ existentie instanti, præveniente scilicet Spiritu sancti gratia originalis peccati infectionem, peccato subiacuisse) & cultum seu festum juxta illam institutum impugnare quovis excogitabili modo, sub quovis prætextu, sive directè sive indirectè, sive publicè sive privatim, sive scripto sive viva voce, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & Romano Pontifici reservatæ, aliisque gravissimis pœnis prohibitum esse.

6. Libros, in quibus aliquid huic sententiæ & cultui seu festo juxta illam instituto, quomodocumque contrarium continetur, post decretum Pauli V. editos, aut in posterum quomodolibet edendos, sub pœnis & censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipso facto prohibitos esse.

7. Contrariæ opinionis censuras hærescos, peccati mortalis & impietatis prohibitas esse, & non alias: unde v. gr. potest dici minus communis, minus probabilis, minus pia, communissimo fidelium sensui contraria, propensissimo summorum Pontificum favori repugnans, &c.

ARTICULUS VII.

Utrum B. Virgo contraxerit peccatum originale.

RESPONSIO.

Beata Virgo non contraxit peccatum originale, sed ab eo per prævenientem Spiritu sancti gratiam, propter Christi merita præservata fuit, & sanctificata in primo instanti existentie suæ.

Prob. 1. Ex Scriptura, argumento partim negativo, partim positivo. Scriptura non negat B. Virginem fuisse præservatam à peccato originali, & aliunde præbet grave fundamentum asserendi præservatam fuisse. Ergo pium & laudabile est id asserere.

Prob. 1. pars ant. Nam si Scriptura negat B. Virginem à peccato originali fuisse præservatam, vel id negat in locutione aliqua particulari de ipsa B. Virgine, vel in locutionibus generalibus de peccato originali. Neutrum dici potest. Non primum: nullam enim hujusmodi locutionem in tota Scriptura reperire est. Non etiam secundum: nam tam generales sunt locutiones de peccato actuali, ut ista: *Non est homo, qui non peccet*, 2. Paralip. c. 6. Et ista: *In multis offendimus omnes*, Jac. c. 3: à quibus tamen sine periculo in fide excipi potest, & re ipsa à fidelibus omnibus excipitur B. Virgo. Ergo pariter ab aliis abque periculo in fide excipi potest, & à nobis prudenter excipitur: cum rationes illam excipiendi à locutionibus generalibus de peccato actuali, valeant etiam ad illam excipiendam à locutionibus generalibus de peccato originali. Quod validè confirmari potest ex Concilio Trid. sess. 5, in decreto de peccato originali, ubi in fine declarat se in illo suo decreto nolle B. Virginem comprehendere. Quod certè non faceret, si vidisset non esse in locutionibus generalibus de peccato originali exceptionem locum pro B. Virgine; imò si non vidisset grave fundamentum esse, B. Virginem ab illis excipiendi. Adde illam ipsam Synodi œcumenicæ declarationem esse momentum grave excipiendi B. Virginem à generalibus de peccato originali locutionibus Scripturæ, & nullam prorsus aliunde necessitatem existere, eam in illis cum cæteris Adami posteris comprehendere, ut patebit ex objectionum solutione.

Prob. 2. pars ant. Nam 1. Genes. c. 3. dicitur: *Inimicitias ponam inter te & mulierem... ipsa conteret caput tuum*. Ubi nomine mulieris communiter intelligitur B. Virgo, inter quam & demonem, perpetuum fore dissidium prædicatur. Nomine autem Capitis intelligitur saltem demonis potestas, cui prædicatur B. Virginem nunquam fore subiectam. At si B. Virgo non fuit à peccato originali præservata, fuit aliquando sub potestate demonis. Ergo, &c.

Simonnet Theol. Tom. I.

2. In Canticis Cant. c. 2. legitur: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. Et c. 4. *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te*. Quæ verba, quamvis intelligi possint de Ecclesia, præsertim qualis erit in cælo, possunt tamen etiam intelligi de B. Virgine, tum quia eadem Scriptura potest habere multiplicem sensum litteralem, tum quia Ecclesia ipsa in festis B. Virginis jubet lectiones de Canticis Cant. recitari in Missæ sacrificio, vel in Matutinis; tum denique quia multi ex Patribus verba illa de B. Virgine exposuerunt. Atqui verba illa satis significare videntur B. Virginem ab omni prorsus peccati labe immunem fuisse. Ergo, &c.

3. Luc. c. 3. Angelus B. Virginem salutat his verbis: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*. Quibus, juxta communem fidelium interpretationem, significatur B. Virgini concessa esse omnia privilegia & gratiæ dona, quibus exornari Matrem Dei secundum rectam rationem decebat. At quis neget Matrem Dei decuisse, à macula peccati originali præservari, præsertim cum ex meritis Christi redemptoris præservari potuerit, ut demonstratur. Præterea, ut docet S. Thomas 3. p. q. 2. 7. a. 1. in O. ex verbis illis habemus, quod illa, quæ genuit unigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus aliis majora privilegia gratiæ acceperit. Sed aliqui, nempe Hieremias & Joannes Baptista, ut eodem loco probat S. Doctor, sanctificati fuerunt in utero materno post animationem. Ergo propter verba laudata rationabiliter credimus B. Virginem in ipso puncto animationis sanctificatam fuisse, proindeque præservatam à macula peccati originali.

Prob. 2. ex S. Augustino lib. de nat. & grat. c. 36. ubi sic loquitur: *Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo questionem: unde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum*. Quæ verba omnia verè aurea sunt, omniaque diligenter ponderanda. Itaque dicit, 1. se nullam prorsus habere velle questionem de B. Virgine, cum de peccatis agitur. Quo modo tam generaliter loquendi satis significat, se non solum de personalibus, sed etiam de originali loqui.

Dicit 2. B. Virgini collatam esse gratiam ad vincendum ex omni parte peccatum. At quomodo peccatum vicit ex omni parte, si aliquando originali peccato infecta fuit?

Dicit 3. B. Virgini collatam fuisse gratiam ad vincendum ex omni parte peccatum, quia fuit mater illius, qui nullum prorsus habuit peccatum. At hæc ratio manifestè tam valet pro peccato originali, quam pro personalibus: cum Christus non solum personalibus, sed etiam originali caruerit. Et verò si conceditur B. Virgini ab omni peccato personali immunitas, quia concepit & genuit illum qui nullum habuit peccatum personale, quare non ei pari modo concedatur immunitas à peccato originali, quia concepit & genuit illum qui nequidem habuit peccatum originale?

Dicit denique 4. se propter honorem Domini nullam prorsus velle habere questionem de B. Virgine, cum de peccatis agitur. At honor Domini videtur postulasse, ut Mater ejus tam caruerit peccato originali, quam peccatis personalibus, quorum multa venialia tantum sunt. Certè si honor Domini postulavit, ut Mater ejus ne semel quidem in tota vita venialis culpe reatum incurreret, quod faciliè concedunt Catholici omnes: quanto magis postulavit, ut ne uno quidem instanti originalis peccati, quod mortale est, reatum habuerit? Si honor Domini postulavit, ut Mater ejus ne leviter quidem unquam Deo displicuerit, & pœnæ temporariæ propter levem aliquam culpam obnoxia fuerit: quanto magis postulavit, ut nunquam per gratiæ sanctificantis privationem deformata, Deo odibilis fuerit, serva peccati ac diaboli, & rea damnationis æternæ propter originalem culpam?